



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Quomodo citandus sit Reus contumax absens, si non reperiatur; & an etiam appellans, & recedens ante sententiam definitivam, iterum citari debeat; & utrùm appellans ab interlocutoria postea ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. V.

Quomodo citandus sit Reus contumax absens, si non reperitur; & an etiam appellans, & recedens ante sententiam definitivam, iterum citari debeat; & utrum appellans ab interlocutoria potest se lata iterum appellare?

Sufficit in casu, quo personaliter citandus repetiri non potest, ad incurrandam contumaciam, si edictum citationis affigatur in publicis valvis Ecclesiæ vel Curie, vel ad domum illius, ubi solitus est habitare c. Venerabilis 10. h. e.

Etiamsi unica tantum peremptoria citatio fuerit, si autem citatus ad totam causam ab interlocutoria, aut alio gravamine, ante sententiam definitivam, recesserit, aut ad Superiorem appellaverit, non debet iterum necessario à Judice inferiore citari ad sententiam definitivam (quia per appellationem talem aut recessum tacite saltem contra talem Judicem protestatur) nisi appellans v. g. facti pœnitens appellationi sponte renuntiaverit. c. Eum qui, h. t. in 6. & Clementi, Si ante, h. t. sed potest ad causam definitivam, eo etiam non citato, procedere, si causa appellationis illegitima fuerit. Plura in Tit. de appella.

TITULUS XV.

DE EO QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM, CAUSA REI SERVANDÆ.

§. I.

Quid sit missio in possessionem rerum, vel bonorum ex primo decreto, & quis ejus effectus, & quando ac quomodo concedatur, ac fiat?

Missio ex primo decreto est, & dicitur illa, quâ Judex ad instantiam partis primò jubet, præsentem partem, ob contumaciam absentis, mitti in possessionem bonorum petitorum custodiæ causâ, ita ut per talem immisionem nec dominum nec vera & stabilis possessio rei acquiratur immisso, sed de reo tantum, & rei custodia; post annum tamen, nisi cautionem de se sistendo in judicio intra

annum Reus suâ culpâ præstare intermiserit, quamvis voluntatem hujus præstandæ habuerit, in actione reali verus possessor stabilitur, & irrevocabiliter Actor constituitur, & omnia commoda habet veræ possessionis, salvo manente jure proprietatis parti adversæ absenti, prout sumitur ex cap. Constitutis 1. h. e. ut ne scilicet contumacem sua contumacia juvet, neque tamen sine speciali culpa alia proprietate excidat. Patet tamen etiam ex c. h. t. si per Reum absentem non steterit, quò minus intra annum cautionem præstaret, eò quòd vel legitime impeditus fuerit, vel cautio à Judice aut alio, cui offerri poterat, acceptata non